

sis hostibus, cum ei visum non fuisset congregari, eos redire aut progredi sine impedimento permiserit: Turcæ audentiores facti, quod existimarent Antonium metu percussum ea facere, pridie idus sextiles se, ut iter facerent, explicabant. Erant autem non longe a Methone, littori, quam mari aperto, propiores. Antonius classe educta, quod superioribus fecerat diebus, ut quemadmodum ab initio communi legatorum & præfectorum omnium consilio constituerat, in eos impetum faceret, se comparabat. Atque eo ipso tempore Andreas Lauredanus Corcyræ magistratus advenit, gripos undecim, & naves onerarias quatuor, in quibus erant milites plus mille, secum afferens. Is ad Antonium recta profectus, venisse se ad rempublicam auxilio juvandam proponit: petit, ut quid se facere velit, imperet. Erat in Andrea magnus animus, magna virtus, plurima belli & rerum maritimarum experientia: itaque illo viso universa classis clarum lætitiæ signum dedit, salutatusque est plausu vocibusque militaribus mirandum in modum. Id an ægre tulerit Antonius, venisse hominem, qui, si quid recte sit administratum, favore vulgi atque benivolentia ejus rei omnem sibi laudem præripiat, explorati nihil habeo: multi quidem certe crediderunt, & testatum reliquerunt. Sed illi navem onerariam ex duabus magnis reipublicæ navibus, quas habebat, uti conscenderet, eique imperaret, permisit.

Andreas cymba ad navem statim vectus (neque enim temporis exiguitas longiorem moram dabat) in eam se se intulit. Altera in navi magna reipublicæ erat Albanus Armerius præfectus. Is, ubi est imperatum ut in hostes impetus fieret, quod sciebat de concilii sententia datum sibi negotium ab Antonio, ut navem Thraciam alterutram ex duabus, de quibus supra dictum est, adoriretur, ad eam ex illis, quæ quidem erat vastior, contendit. Lauredanus sua cum navi ad navem hostium alteram appropinquat. Sed ea fuga comparata, in mare sinistrorsum se proripuit. Tum Lauredanus suam & ipse navem in

*Venetæ &
Turcica
classis pugna.*